POSITIONES
ALIQVOT
LOGICAE, ETHI-
CÆ, PHYSICÆ, METAPHYSI-
CÆ, SPHÆRICÆ:

Ex clariſsimorum Philoſopho-
rum Gazophylaciis

Hinc inde depromptæ, ad veritatem limandam in publica diatriba, ultro citroque eventilandæ, quas Συν Θεῷ
ACADEMIAE REGIAE ABERDONENSIS
alumni, cum laurea hac vice emittendi,
poſtrid. Idus Iulii, propugna-
bunt, Horis ſolitis.

PRÆSIDE
D. GVLIELMO FORBESIO,
S.

Τὰς μὲν πόλεις ἀναθήμασι, τὰς δὲ ψυχὰς
μαθήμασι δεῖ κοσμεῖν.

ABERDONIIS,
EXCVDEBAT EDVARDVS RABANVS,
ANNO DOMINI 1623.

MANIBVS

Beatissimis Illustrissimi Præsulis,

GVLIELMI ELPHINSTONI,

ACADEMIÆ REGIÆ ABERDONANÆ

Fundatoris Munificentissimi,

POSITIONES hasce PHILOSOPHICAS

D. D. C.

APVD VETERES diuturna consuetudine inveteravit, ut qui de communi hominum societate bene meriti, vel eruditione, vel rebus etiam præclare gestis insignes, monumentum aliquod posteris reliquissent, ne facti gratia interiret, statuis ipsis, in deorum ædibus positis, tanquam effigie Numinum Sacrandi, celebrarentur, ut apud posteros eorum memoria recens conservaretur, SACRANDI non minus VOS BEATI ELPHINSTONI MANES, terrenis jam exempti rebus & cœlesti πανηγύρει aggregati, quos adeo virtus sibi ipsi consecravit, quorum spirans simulachrum non penicillo expressum, sed stylo adamantino hominum animis

 insculptum,

insculptum, nulla dies vnquam expunget. Qui cum videretis nulla re mortalibus melius consultum iri, quam si cæcis ignorantiæ tenebris profligatis, clara veritatis luce, fruerentur homines, quam multi, grassante barbarie, sophismatum tendiculis illaqueati, nõ assequuntur, ILLUSTREM hanc ACADEMIÆ fabricam, hanc virtutum sedem, hoc pietatis domicilium, hanc disciplinarum optimarum officinam, & constituistis, & constitutam, adeo largâ munificentiâ cumulastis, ut structurà simul, & ingeniis florentissima, admiratione digna censeatur. Vestris auspiciis, Parnassus & Helicon sacra musarum domicilia, ex Bæotia, huc quasi translata esse videntur, quin immo ad sacra illa Hesperidum pomaria, & aurea mala, per insopitum draconem excubantem, prius defensa, vestro beneficio hinc quasi aditus referatur. Qui in hoc musarum horto, arborum à VOBIS satarum, & tam fœcundo depactarum solo, dulcissimis vescuntur fructibus, quique lacteos rivulos, amæna illa vireta, rigantes hausserunt, (hausere autem innumeri) ii NOMEN NUMENQUE VESTRUM, grandiore tuba, in omnem, non modo ævi sui, sed æternitatis memoriam, celebrabunt. NOS sacræ parentis, Academiæ alumni, toto quadriennii curriculo, tot immensæ liberalitatis auctoramentis, VOBIS in perpetuum obstricti, solliciti despicientes, quanam grati animi hostia, si nõ θρεπτήρια καὶ διδακτρα reponere, at memoriam saltem veneri ac testari possemus. Prorumpunt tandem, hæc ingenii nostri χειρογραφα, & pœne puerilis opellæ rudimenta, ut cum VESTRA bona venia, publici fiant juris, VOS Mecœnates & Patronos exoptant, ad VESTRI magni Nominis quasi magni Numinis confugiunt clientelam, ut omnem sycophantiæ petitionem, declinare, & edentulos Sciolorum morsus, eludere, & elidere, queant. Sed quia VOS recepti, jam sedibus quietis, MANES, beati cives cœlites, ritus hos prophanos, tãtum non ridetis, veniat in tutelæ hujus societatem, PRÆSUL Reverendissimus, quem virtus, simul & genus, ad idem amplissimi honoris fastigium evexit, & in quem, novissime, continua succedentium serie, eadem EPISCOPALIS dignitatis munia derivata sunt, QUEM VOBIS, opellæ hujus ideo symmistam adjungimus,

quippe, quod ejusdem cujus Vos fabricæ Fundatores, ac autores, eximius ILLE restaurator, sacrarumq; legum redintegrator, extiterit. PANDORAM hanc nostram, gemino subnixam præsidio, sine fastu, & vermiculato emblemate, hinc inde tumultuarie consarcinatam, in lucem prodire voluimus, Non quod publicæ famæ, tympana pulsare, aut nostras has lucubratiunculas, in arce, sicut illam Phidiæ Minervam, locare flagitemus, nobis abunde sufficit, si candidis rerum æstimatoribus, ex Philosophica officina, non sine lima prodiisse, videatur. Perge, PRÆSUL Reverendissime, literatos tuo præsidio fovere, Perge virtute tua, ad pristinam Academiæ lucem, παντοίης ἀρετῇσι κικάσμενην, clarissimum afferre splendorem, NOS qui hanc gratæ voluntatis tesseram, hoc devotissimarum mentium pignus, ac μνημοσινον επι γυνασι τυ δεσποτυ, deponimus: TIBI, in Ecclesiæ, ac Reipub. literariæ, cui natus es usum, in Academiæ hujus, quæ te tanto Patrono gloriatur, bonum, Nestorios ac fœlices precamur annos, & cineri VESTRO, MANES, VOVEMUS,

(*) *tenuem, & sine pulvere terram,*
Spirantesque crocos, & in urna perpetuum Ver.

ALEXANDER SPENSÆVS,
ANDREAS WATSONVS,
ARCHIBALDVS GVTHRÆVS,
GILBERTVS ROSSÆVS,
IACOBVS ANNANDVS,
IACOBVS FORBESIVS,
IOHANNES CAMERARIVS,
IOHANNES STRATAVCHINVS,
PATRICIVS LEO,
ROBERTVS DAVNÆVS,
ROBERTVS MIDDELTONVS,
WALTERVS DARGIVS.

POTITIONES LOGICÆ.

I.

NATVRA *sive* ARTE *cæca est, nisi enim vis ea quæ in animis nostris ad disputandum insita est, artis legibus regatur, præcipiti & vago cursu in devia abit,* ȣ γὰρ φυσις ἱκανη γινεται τεχνης ἄτερ, *natura namque ab arte perficitur,* ὁλως τε ἡ τέχνη τὰ μεν᾽ ἐπιτελεῖ ἁ ἡ φύσις ἀδυνατεῖ ἀπεργάζεσθαι. 2. Phys. 8. τέχνη γὰρ κρατυμεν ὧν φυσει νικωμεθα, *qui igitur abjecta disputandi scientia de rerum natura perquirunt in gravissimas errorum tenebras incidant necesse est.*

PROB. An Ars deliberet.

II. *Artes omnes earumque habitus præeunte sensuum ministerio* (αισθησις γὰρ δύναμιν ἐχεὶ της επιστημης 1. de ort. 3.) *peperit innata animis nostris cognitionis & scientiæ cupiditas* (πάντες γὰρ τȣ̀ εἰδέναι, ὀρέγονται φύσει. 1. Metaph. 1.) *diuturni temporis tractus educavit; hinc variis subinde actibus principiorum habitus acquirendus, Nequaquam vero in ipso nascendi articulo intellectui infusus esse videtur.*

III. Τῶν ποιητικῶν ἐν τῷ ποιȣ̃ντι ἡ ἀρχὴ ἡ νȣ̃ς ἐστιν ἡ τέχνη ἡ δυνάμις τις, τῶν δε πρακτικῶν ἐν τῷ πράττοντι ἡ προαίρεσις, τὸ αὐτὸ γὰρ τὸ πραττον, καὶ προαίρετον, 5. Metaph. 1. *Quare prudentia actionum, ars effectionum Magistra est, pruventia etenim recte agere, ars rectè efficere docet. Qui igitur* Arist. 6. Ethic. 4. *Definire artem habitum recta cum ratione activum contendunt, ad veritatis lucem plane cæcuciunt, cum eo loci artem non actionis, sed effectionis habitum esse concludat.*

IIII. *Objectum Logicæ adæquatum est modus sciendi, ad quem referuntur omnia quæ in ea tractantur qui pro fundamento importat reales operationes intellectus, pro formali verò directionem sive ordinationem non realem, sed rationis duntaxat ita ut formale objectum Logicæ ens rationis sit, ut* D. Tho. *Cum modernis qui eum sequuntur tenet. Totale autem atque completum quippiam ex ente reali atque rationis ordinatis conflatum.*

V. *Vnitas numeralis sit ab existentia actu, proinde sola forma, tum essentiam, tum existentiam rei tribuens, sola ut dat existentiam, principium erit individuationis, non igitur vel materiam solam, vel accidentia simul collecta, pro principio agnoscimus.*

VI. *Vniversale per omnia & singula diffunditur singularia, in uno tamen conservari potest, actu existente, modo plura sint potentia, adeoque sicut species, in uno individuo, ita genus in una specie conservatur.*

PROB. An datur ante operationem intellectus universale & materialiter & formaliter sumptum.

PARAD. Vniversalia sunt unum, & multa, in multis, & extra multa, ubique, & nusquam, semper, & nunquam.

VII. *Primum Logicæ operationis subjectum sunt res, eæque bifariam considerantur, vel, ut sunt, adeoque concipiuntur primo, vel prout* exprimuntur, *quæ duplex consideratio hujus subjecti pendet à duplici illa hominis super alia animantia prærogativa, ratione scilicet & oratione. Hinc Organi Arist. divisio accuratior quam illa hactenus recepta, in duas partes ita ut prima sit de subjecto operationis, bifariam considerato: prout est.* Lib. *Cat. prout* exprimitur *incomplexe & complexe Lib.* περὶ ἑρμην. *secunda vero de opere ipso, sive syllogismo.*

VIII. *Res omnes dicuntur entia* κατὰ ὁμωνυμίαν, κατὰ καθ' ἓν καὶ πρὸς ἓν. 7. Met. 4. *Qui igitur ens sumunis generibus, sive univocum, sive æquivocum, agnoscunt; næ illi frustra ad summam Philosophi authoritatem enervandam vim suam conferunt.*

IX. *Quemadmodum omne accidens, ita solum accidens, est in subjecto, forma idcirco non est in materia,* ὡς ἐν ὑποκειμένῳ, *quantumvis enim forma non sit pars materiæ, cui inest primo, pars tamen est subjecti, cui inest secundario, & per materiam: Præterea forma non est in materia,* ὡς ἐν τίνι, *hoc est ut in aliquo perfecto & completo, hinc improprie dicitur* ἐν ὑποκειμένῳ. 2. Phys. 1. *Quia materia dicitur* τὸ ὑποκείμενον *id quod subjicitur contrariis in generatione.*

X. *Nulla essentia habet causam se priorem, per quam demonstrari potest, de eo cujus est essentia, neque igitur mensuratio, neque divisibilitas, de quantitatis essentia sunt, verum affectiones, rationem essentialem insequentes: Formalis vero quanti ratio, in nullo alio sita est quam in interna partium ad se invicem extensione.*

XI. *Vnitas*

XI. *Vnitas & punctum, cum hac partium extenſione careant, ſub genere ſummo hujus prædicamenti, non militant, niſi reductive, hanc ad quantitatem diſcretam, (cujus eſt principium) illud vero ad continuum, (cujus eſt terminus) referendo: Proinde erroneam eſſe diviſionem quantitatis in diviſibilem, & indiviſibilem, cum manifeſtam in adjecto repugnantiam implicet, aſſerimus.*

PROB. An numerus ſit ens reale.

XII. *Motus unus idemque, actio eſt & paſſio, longe tamen aliud eſt agere, aliud pati, agere ſiquidem, eſt in ſeipſo cauſam operationis & actionis ſuæ habere, pati verò eſt in ſeipſo & in alio paſſionis ſuæ cauſam habere.*

PROB. An actio ſit in agente, an in patiente.

XIII. *Τὰ ἐν τῇ φωνῇ σημεῖα τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων συμβολα. Vt igitur vox rationem, ita ratio, rem adumbrat, hinc res, eſt in natura οντῶς, in mente λογικῶς, in ore συμβολικῶς.*

PROB. An voces ſint à natura an ab inſtituto.

XIV. *Verbi prærogativa eſt, απ συνθεσιν τινα σημαινειν, hinc nugari eos, non minus liquido conſtat, quotquot (Eſt) tertium adjacens cum D. Tho. vel exiſtentiæ vel eſſentiæ actum ſignificare, autumant, quam eos, qui continuam verbi reſolutionem, in (ens) aſtruunt, cum ſic progreſſum in infinitum, effugere nequeant.*

XV. *Oppoſitio in modalibus ſecundum ſenſum, à tempore, vel toto poſito & ſublato, (ſi contraria) vel parte poſita, & ſublata, (ſi ſubcontraria) vel denique toto poſito, & parte ſublata, vel parte poſita, & toto ſublato, (ſi contradictoria intelligatur) rite dependere, videtur, quamvis ſecundum formam, aliunde peti poſſit.*

PARAD. Eadem enuntiatio modalis eſt affirmans, & negans, univerſalis, & particularis, contingens, & neceſſaria.

XVI. *Eſſentia motus à terminis eſt metienda, tota idcirco natura ſyllogiſmi, quanta quanta eſt, eſt ejus conſequentia ſeu vis illa dependentiæ, à ſuis præmiſſis.*

XVII. *Medius terminus, vel antecedit in majore, & ſequitur in minore, vel utrobique antecedit, vel denique utrobique ſequitur, quocirca figuram Galeni, in qua nitus majori anteponit, majus vero minori poſtponit, tanquam primæ inverſam, prorſus explodendam arbitramur.*

XVIII. *Si arguendi formam intueamur quodvis problema concludi poteſt in prima figura, ſin materiam introſpiciamus, haud quaquam poteſt, quippe quodvis medium non admittit diſpoſitionem primæ figuræ, unde eſt quod ſecunda & tertia figura non tantum ad diſputandi commoditatem, utiles ſint, ſed & omnino neceſſariæ.*

XIX. *In demonſtratione potiſſima requiritur tantum immediatus nexus terminorum majoris, cauſæ nempe & affectionis, non item minoris, cauſæ videlicet & ſubjecti ſiquidem definitio illa principii 1. Poſt. 2. licet ſemper de majore non tamen ſemper de minore propoſitione vera eſt, niſi tum demum cum medius terminus ſubjecti forma ſit.*

XX. *Scientiam ἁπλῶς dictam quæ ſit per cauſam proximam parit demonſtratio διὰ ὅτι, quæ magis eſt ἐπιστημόνικη, quam demonſtratio ὅτι, quæ imperfectam ſcientiam eamque per effectum, vel cauſam remotam gignit, unde membra analogata generis analogi non inepte cenſentur.*

PROB. An ſcientia ſit per reminiſcentiam, ut voluit Plato.

PARAD. Nulla datur demonſtratio à cauſa interna & proxima.

XXI. *Diſcrimen demonſtrationis ac definitionis, nullum prorſus eſt niſi in terminorum ſitu; in demonſtratione namque omni eſt ſubjectum affectio & medium, ſimiliter definitio affectionis perfecta ex totidem partibus conſtat utputa genere, ſubjecto, & cauſa, ſi igitur ſubjectum affectionis, fiat ſubjectum concluſionis, genus vero prædicatum, & cauſa medium, hoc pacto habetur ex definitione demonſtratio.*

XXII. *Opinio & ſcientia, circa idem objectum materiale verſantur, quippe, de quacunque re eſt ſcientia, de eadem poteſt eſſe opinio, at formali objecto (unde ſpecifica petenda diſtinctio) ſemper differunt, hæc enim eſt de re neceſſaria quatenus neceſſaria eſt, illa vero de re eadem ſub ratione contingentis.*

XXIII. *Definitio affectionis, ſeu majoris extremi, in demonſtratione διότι ſemper medium eſt, nam quoties affectio, quæ demõſtratur ineſſe ſubjecto aut pendet ab externa cauſa aut non proximè & immediate fluit ab eſſentia tunc ſolius affectionis, non item ſubjecti definitio, medium eſt. quoties verò illa proximè & immediate ab eſſentia, & natura ſubjecti fluit, tunc pro medio adhibetur ipſa ſubjecti definitio, non tamen quia ſubjecti*

definitio

definitio est, sed quia causa est majoris extremi, seu affectionis, ea namque ipsa res, quæ est forma & essentia subjecti, est causa efficiens affectionis, quæ subjecto inest.

XXIIII. Ει, καὶ ὅτι, necnon τι, καὶ δι ὅτι quærunt medium. quare in omnibus quæstionibus scientialibus, quæritur ει, vel τι εστι το μεσον hinc per materiam, vel formam, vel efficientem, vel finem (medium enim est causa) iis satisfit.

XXV. Ad principiorum cognitionem non necessaria est demonstratio, verum notitia tantum terminorum, & τῶν καθ ἑκαστων ἐπαγωγη, ideo nobiliori habitu, ac eminentiori cognitionis gradu quam conclusiones cognoscuntur, id enim magis tale est, quod ex se tale est, quam quod est tale per aliud, perperam itaque Zabar. & qui eum sequitur Crell. ex cap. 9. lib. 1. post. part. 5. Aliarum scientiarum principia quæ in suis scientiis manent ἀναποδεικτα in Metaph. demonstrari posse, colligunt.

XXVI. Pseudographema veræ demonstrationis speciem præ se fert, & ex propriis fallit, Sophisticus vero syllogismus dialecticum simulat, & ex communibus decipit, idcirco magis metuendus, quod ex communibus sæpius quam ex propriis disputetur, ita ut in necessariis, ob veritatis evidentiam, rarius quam in probabilibus, peccetur.

ETHICÆ.

I.

VT Philosophia contemplativa, circa bonum intellectus, ita Practica, circa voluntatis bonum versatur, quæ cum sacra Theologia, affectus hominis transversum actos in rectum ordinem redigit, in hoc ab ea contradistincta, quod hæc, humanæ vitæ terminis includatur, illa vero minime, hæc bonum civile respiciat, illa gratiæ, non tamen ex Diametro, à se invicem dissident quippe una alteri velut dominæ famulatur & inservit.

II. Ουκ εστι εν ταις τυχαις, το εὐ ἡ κακῶς. 1. Eth. 10.

cum non ſit penes fortunæ arbitrium, aut fœlicitas, aut miſeria, ut poſſit vel hanc, vel illam homini adimere, vel tribuere, bona quæ Philoſophus appellat αναγκαια, non niſi per accidens, (ratione vitæ naturalis quæ alenda eſt) ad fœlicitatem requiruntur, quæ vero vocat ευτεχια, & χρησιμα οργανικως, ad fœlicitatis ornatum, ſplendorem, & extenſionem deſiderantur.

III. *Voluptas non ad aliud à natura comparata eſt, niſi ut ejus jucunditate pellecti, ad uſum noſtrarum facultatum alacriores reddamur, & moleſtiæ quæ ex labore & actionibus proveniunt, leniantur.*

PROB.

1. An difficilius ſit voluptati quam iræ reſiſtere.
2. An citius voluptas quam dolor enecari ſoleat.

IIII. *Virtutis habitus, ſicut omnis omnino animi habitus, imperfectus, & in poteſtate exiſtens, ſecundum ſe, ab acceſſione ſuæ actionis perficitur, in quam ſpectat, tanquam ſuum finem: Commentum proinde Stoicorum qui fœlicitatem (quæ eſt ultimum perfectiſſimumq; bonum) in habitu virtutis ponunt, non injuria averſamur.*

V. *Virtutum moralium ea eſt natura, ut mira conſenſione inter ſe junctæ ſint ac colligatæ, vitia vero ut ſunt junctæ, ita maximè pugnant, pugnant, autem ut ſunt duo extrema.* υπο τὸ αυτὸ γένος πλειστον διεχοντα: *junctæ ſunt, primo, per principium, quia ut prudentia omnium virtutum, ita imprudentia, omnium vitiorum principium eſt, 2, per medium, quia ut omnis virtus eſt in medio, ita omne vitium eſt receſſus à medio, 3, per finem, quia ut omnis virtus ducit ad honeſtum & ſummum bonum, ita omne vitium adverſatur honeſto & parit ſummum malum.*

VI. *Vt gravia deorſum miſſa, quo majorem mediì reſiſtentiam perrumpunt, eo vires majores habere judicantur, ſic virtus quo plura vincit obſtacula, eo major eſt judicanda, ut ut igitur res adverſæ, quoad fieri poſſit, declinandæ, patientia tamen in adverſis virtus longe maxima eſt, & quo gravius adverſa fortuna incumbit, excellentior ea ſe exerat.*

VII. *Deliberatio eſt mentis inquiſitio, ſive inveſtigatio mediorum, quæ in noſtra ſunt poteſtate, ut potiora media, præ cæteris eligantur, ad finem conſequendum, deliberationem præcedit voluntas, quod enim mens judicavit bonum, id voluntas appetit, & vult, deinde deliberamus de mediis ad*

illud

illud consequendum, tandem quæ media potiora sunt ea præ cæteris eligimus.

PROB.

An res fortuitæ sub deliberationem cadant.

PHYSICÆ.

I.

OMNES Conditiones, quæ ex Philosophantium consensu, in artium subjectis requiruntur, conveniunt in ens mobile, comparatione Physiologiæ, hinc necessario illi uti proprium subjectum attribuitur, ex quo patet neque materiam primam, licet generationis subjectum sit, neque mentes corporeæ molis expertes, etsi loco moveantur, entis mobilis appellatione comprehendi, cum ex materia & forma non constent. Liquet etiam non rectè quosdam SCOTI sectatores, opinionem D. THOMÆ insectari, quasi Physiologiæ subjectum statueret compositum per accidens, nec enim ens mobile, compositum est per accidens, aut complexum re, sed vocabulo tantum, cum idem vocetur atq; corpus categoriæ substantiæ.

II. *Materia prima essentialiter est substantia incompleta, & pura potentia subjectiva, (cui tamen actus entitativus competit) è qua forma omnis (si solum animam rationalem excipias) licet nihil ejus in ea prius fuerit educitur, cum qua unum per se constituit, quam cum appetitu desiderii cum complacentiæ appetit, existentiam quamvis à forma non mendicet absque ea tamen existere absolute impossibile est, ingenerabilis, incorruptibilis, per se quidem una, sed intelligibilis per aliud, quæ*

quia corruptionis principium, corporum cœlestium constitutionem haud quaquam ingreditur.

PROB.

An materia una sit unitate specifica, an numerica.

III. *Privatio* (*quæ negationem formæ in subjecto* ἀφατικῶ *significat*) *quamquam non sit ens positivum, ideoque nihil reale ponit in eo cujus est privatio, est tamen principium rerum naturalium, unde eorum sententiæ neutiquam subscribendum est, qui eam inter entia rationis annumerant.*

IIII. *Vt pura potentia, à pura actu, ita materia prima longissimè à* DEO *recedit, at forma, ut aiebat* PLATO, *naturæ divinæ participata est similitudo, materia est quid* ἀπειρον, ἀμορφον, *at forma splendor, & decor rei, nativam materiæ* γύμνοτητα, *& deformitatem operiens, Materia est quid* ἀορίστον, ἀδιαφορον, *forma vero* ἐντελεχῖα, πλῆθος, λογῶ τὸ τί ἦν εἶναι, *qua unumquodque perficitur, & ad certam entis speciem revocatur.*

PARAD.

Materia prima est non ens, est tamen omne ens.

V. *Quantitas completa nec insequitur materiam solam, nec formam solam, sed utramque simul, hoc est substantiam compositam, incompleta vero non ad compositum, sed ad materiam refertur, hinc ut compositum quantitate completa, Sic materia quantitate incompleta, (ut substantia omnis suis accidentibus:) prior est, si non tempore, saltem natura.*

VI. *Natura in rebus naturalibus secundum* ARISTOT. *est sola forma, materia siquidem libera est, & æquè apta ad contrarios motus, natura autem certum quendam, ac statutum motum respicit, qui à forma provenit, hæc per se, & quatenus est forma, activum est principium motus, & eadem ut materiam determinans est pricipium motus passivum, neque enim materia sine forma, nec forma sine materia principium est motus passivum, patibilitas namque est materiæ, determinatio autem*

autem patibilitatis, ut hunc potius motum respiciat, quam illum est solius formæ.

VII. *Natura nihil temere aut frustra, sed omnia finis gratia facit, 2. Phys. 8. Impeditur tamen nonnunquam natura, & per accidens non assequitur finem ad quem tendit. Hinc monstra generantur quando natura a proposito sibi fine, in aliquo alicujus speciei individuo ob aliquod impedimentum interveniens aberrat, non ergo monstra sunt per se naturæ opera, nec eadem agit hoc fine ut monstra producat, sed sunt ἁμαρτήματα naturæ impeditæ: Primo, à materia ejusque promiscuo fluxu ac motu: Secundo, ab agente: Tertio, etiam a continente. 4. De Gen. Animal. 4.*

PROB.

An Fœmina in Marem mutata sit Monstrum.

PARAD.

Monstra sunt præter naturam, necnon etiam à natura.

VIII. *Motus corporum naturalium comes individuus, ac affectio primaria secundum suam propriam rationem, non est forma per se, nec forma pariter cum fluxu, seu acquisitione, sed est acquisitio ipsa, & tendentia ad formam, cujus natura adeo mobilis est, & varia ut sit δυναμὶς ων εις ἐντελεχειαν ιων, actum suum sistat, vel in quantitate, qualitate, aut ubi, adeo ut in communi omnem Categoriam effugere videatur.*

IX. *Motus naturalis est, qui fit ab interno principio, nempe natura, inclinante, & aptas res mobiles faciente, ad eum motum suscipiendum: Hic uniformis esse solet, & sui similis, cum natura ad unum aliquem, & principem finem, tendat, estque initio remissior, & debilior, in fine vero velocior, & fortior, si enim corruptio, primo sensim incipit in fine est vehementissima, & lapis cum deorsum movetur, primo leviore, tandem vero velociore impetu fertur, violentus autem motus est, ad quem nihil confert natura mobilis, sed vi perficitur, hic semper in principio est vehementior, in medio remissior, in fine omnino quiescit.*

X. *Quælibet magnitudo dividi potest in infinitum, ac in infinitum augeri non potest, nisi κατὰ πρόσθεσιν ἀντιστρεφομένως τῇ διαιρέσει, ut loquitur ARISTOT. 3. Phys. quando nimirum cum divisione partium sepositarum fit additio quo casu ut dividere, ita addere, & augere licet in infinitum, sed hujusmodi additione totum magnitudinem non superat, οὐδεπότε γὰρ ὑπερβαλλεῖ παντὸς ὡρισμένου μεγέθους, Imo nunquam superabit magnitudinem corporis, quod divisioni subjicitur, quia semper reliqua est pars aliqua dividenda.*

PROB.

An detur minus minimo.

XI. *Locus est πέρας τοῦ περιέχοντος σώματος ἀκινήτου πρῶτον, Non igitur corpus, molesve corporea, quia sic duo corpora essent in eodem loco, natura autem à dimensionum penetratione longe abhorret, neque pars corporis est cum materia & forma à re cujus sunt, salva re ipsa separari nequeant, locus vero separatur, ubi enim prius fuit aer, ibi paulo post aqua, & alia corpora invicem succedunt. Aristot. 4. Phys. Text. 17.*

XII. *Quicquid est in tempore ejus duratio tempore mensuratur, à tempore etiam patitur, Phys. 4. 12. Sempiterna entia mutationis expertia nulli tempori subjiciuntur, cum eorum diuturnitas tempore mensurari non potest, cum principio, & fine omni careant, adeoque nec impossibilia ex quo sequitur res tantum ortui, & interitui generatimq; mutationi obnoxias, in tempore esse, quales sunt res omnes naturales infra Lunæ orbem, quæ aliquando sunt, aliquando non sunt.*

PROB.

An temporis sit quædam efficacia.

XIII. *Motus in qualitate est alteratio, quam à generatione male distinguebat Democritus, qui ex atomorum congregatione generationem, ex segregatione corruptionem, ex ordine, & situ mutato alterationem, prodire voluit. Nos cum Arist. sic distinguimus: alteratio motus est, generatio subita mutatio: alteratione acquiritur qualitas, generatione forma sub-*

ma substantialis, in alteratione manet idem subjectum sensibile, in generatione mutatur totum.

XIIII. *Generatio unius est corruptio alterius, eædem tamen inter se plurimum dissident, 1, Quod generatio sit mutatio realis, & positiva, corruptio vero negativum quippiam, generatio enim tendit in substantiam quæ antea non erat, corruptio in negationem substantiæ quæ antea fuerat, 5. Phys. 1. Text. 7. Secundo, quia per corruptionem itur ab actu, in potentiam, per generationem à potentia in actum. Materia siquidem, intereunte composito, actum formæ, quem habebat, amittit, per generationem, actum, quem non habebat, recipit. Tertio, Quia corruptio est naturæ malum, generatio autem bonum, quo fit, ut hanc natura per se, illam vero non nisi per accidens, intendat.*

PROB.

An generatio sit conversio.

XV. *Cœlum cum accidentia habeat quæ materiam insequantur, eidem materiam tribuere non veremur, cum vero materia cœlestis non sit eadem numero cum privatione, nec comites habeat contrarietates, cumque inferiorum materia sit in potentia semper ad plures formas elementares, cœlestis vero materia tantum sit in potentia ad suam formam cœlestem, non esse talem qualis est ea mortalium, affirmamus, cum Arist.* 8. Met. text. 12. 12. Met. text. 10.

PROB.

An materia cœli sit aquea.

XVI. *Accretio est motus corporis viventis, quo totum, & omnes partes, secundum omnes simul dimensiones, extenduntur, ad majorem quantitatem, factus ab anima, ex alimento extrinsecus assumpto, per naturalem calorem plus quam per halitum minutim deperditum est, reparante, & converso in partes substantiæ majores, ut ipsum vivens debitam sibi magnitudinem assequatur, ad exercendas operationes vitæ.*

XVII. Εαν υπέρβαλλη ἡ ισχις ἡ τȣ βαρȣς της ἐν τῷ συνέχει πρὸς τὴν διάσπασιν, καὶ τὴν διαιρεσιν βίασεται κατω θαττον, ἐαν ασθενεστερα ἐπιπολασεῖ 4. de cœl. 6.

Hinc corpora gravia ſupra minus gravia, aut ſupra levia, ubicunque ſint, gravitant, ſimiliter levia infra minus levia, aut infra gravia, levitant, nullum autem elementum in ſuo loco naturali conſtitutum, gravitat, aut levitat, ſi modo gravius ſubſidiat, levius emineat, quia elementa ideirco tanto naturæ impetu præſcriptam ſibi à natura ſedem, petunt, ut inibi tranquillitate adepta conſiſtant, nec jam ulterius cieantur.

XVIII. *Elementorum tranſmutationibus, cum nulla generatio autore Ariſt. abſque ſubjecto fieri poſſit, communis materia (quæ alias prima dicitur) ſubjecta eſt, quæ ut nullam formam peculiarem habet, ita omnium eſt capax, & proinde παυδέχες a Platone rectè dicitur, propter hanc ſit, ut omnia elementa inter ſe invicem tranſmutari, & ex ſe generari queant, varie mutatis qualitatum patibilium differentiis, quas mutationes, formæ ſubſtantialis ſequitur mutatio, ita ut elementum quod prius erat leve, poſtea grave fiat, quod ante rarum deinceps denſum reddatur.*

XIX. *Ex duobus elementis prorſus ἀσύμβολοις quæ neutrius qualitatis communione conjuncta ſunt, tertium medium oritur, verum quo modo, & à quo agente, hæc mutatio, & tertii elementi generatio fiat, inter peripateticos non convenit, recepta autem ſententia eſt per ipſam actionem mutuam duorum contrariorum tertium produci, quam opinionem Mercenarius* Lib. 1. Dilucid. *rejiciendam cenſet, ſed eandem juſte defendit Zab.*

XX. *Ex elementorum formis remiſſis, non tanquam terminis à quo tantum, ſed etiam quadam ratione ut ex partibus, contrarietatum aculeis mutua pugna in mediocritatem redactis, inque exiguas partes diviſis, miſti nova ſuboritur forma, in qua gradus aliquot formarum elementorum remanent, adeo ut in miſto nec formæ, nec integræ elementorum qualitates maneant, nec prorſus deperdantur, ενδέχεται τα μιχθέντα ειναι πως & μη ειναι.*

XXI. *Quæ in tribus viventium generibus, tria ſunt animarum genera, hæc in uno homine, tres ſunt ejuſdem animæ partes, quæ δυναμεις ſeu facultates appellantur,* vegetativa, ſenſitiva, intellectiva. *Hæ tres ita ſeſe ſubeunt in fœtu, ut primo animam vegetantem induat fœtus, deinde ſentientem excipiat, tandem in fœtus non rudem & incompoſitam*

materiam

materiam, ſed organis concinne conformatam θυρᾶθίν καὶ χρανοθίν *à* DEO *ipſo* ἀμέσως *animæ rationali, deſcendit* ἅμα γὰρ ψυχὴ ζῶον καὶ ἄνθρωπος, Ariſt. 2. De Gen. Anim. 3.

PROB.

An Anima aliquid patiatur a Corpore.

XXII. *Quod eſt in potentia eget aliquo, à quo in actum educatur, cum igitur intellectus patiens ſit in pura potentia neceſſario danda erit aliqua facultas à qua ad intelligendi actum deduci poſſit, hæc autem ſola eſt intellectus agens qui fulgore ſuo res intelligibiles irradiens, puriora phantaſmata intellectui poſsibili offert, & quæ δυνάμει νοητὰ erant, facit actu νοητὰ, patientis intellectus actus & lumen. Scalig. Exercit.* 307. *Sect.* 35.

PROB.

An intellectus agens & patiens re differant.

METAPHYSICÆ.

I.

CUM *Scientiæ Nobilitatem ex ſubjecti præſtantia, æſtimet Philoſophus, cumque Metaphyſica ſubſtantias corporis expertes, ſubjecti ambitu comprehendat, & Metaphyſicus* ἐκ τῶν ἀνωτέρω αἰτιῶν, καὶ μὴ αἰτιατῶν *ſciat, non injuria cum Ariſtotele, Metaphyſica inter primas cenſenda,* πάντων κυρία, καὶ κυριωτάτη ἐπιστήμη.

II. *Metaphyſica quamvis ens qua ratione ens eſt conſideret, non tamen omnes entium naturas (ſic enim ſupervacaneæ eſſent reliquæ omnes ſcientiæ) ſed eas tantum quæ in ſuis conceptibus nullam materiam includunt, adeoque ſolas ſubſtantias ſeparatas cognoſcit Metaphyſicus.*

III. *Affectiones quæ enti qua ratione ens eſt competunt ſunt unum,*

verum, bonum, (*quæ enim his addi solent*, res & aliquid, *cum ente, & uno conjunguntur*) *de quibus ens non prædicatur in quid, quia nec sunt omnino idem cum ente, nec addunt enti aliquid reale, aut positivum, formaliter ab eo distinctum, nec modum aliquē realem intrinsecum, cum æque late pateant ac ipsum ens.*

IIII. *Essentia si in se spectetur, actus entis vocè dicitur, si verò ad existentiam comparetur, non actus sed potentia, unde describi solet, principium per quod res possit aliquando existere, hinc essentiam individuo sexu non necessariò consequitur existentia, verum ante positam & post sublatam existentiam, remanet essentia.*

V. Νοηματα *secunda à primis differunt, quia hæc res ipsas statim per medios animi conceptus significant, & fiunt per conceptus directos, illa verò per reflexos & primis imponuntur.*

PROB.

An omnia entia rationis sint νοηματα secunda.

VI. *Ratione naturali evinci potest, esse substantiam quandam sempiternam, infinitam, omnium rerum efficientem, eamq; esse unam duntaxat.*

VII. *Omnia secunda agentia, ita essentialiter subordinantur primo agenti, ut primum agens in eorum actione magis agat, quam ipsa agant, proinde entia sive res creatæ, agere nihil possunt, nisi virtus essentiæ divinæ, ad actionem ipsarum immediate concurrat: iniquiores sunt tamen quam par est Platonici, qui causis secundis nullam agendi vim concedunt sed instrumenta solummodo esse asserunt.*

SPHÆRICÆ.

I.

CVM cœlum astriferum, vulgo firmamentum, tribus diversis motibus progredi, diuturna inspectione ac experientia deprehenderunt Astronomi, imperiti admodum Astronomiæ videntur esse, qui decem orbes cœlestes mobiles inficiantur, quorum duo Supremi nullam habent Stellam infixam, Octavus magna exornatur varietate Stellarum, quæ quod pari volvantur distantia, fixæ nominantur. septem inferiores Singuli singulas habent Stellas, quæ quod eundem semper situm non servent Erraticæ dici consueverunt.

Primum

II. *Primum mobile orbes omnes inferiores viginti quatuor horarum ſpatio, motu ſuo rapidiſſimo, & diurno, ab ortu in occaſum, rapit, eſtq́; hic primi mobilis motus ſemper æquabilis, nunquam remiſſior, aut velocior, & quo viciniores ſunt orbes primo mobili, eo communi motu celerius, proprio tardius, quò remotiores, e-contra feruntur.*

III. *Orbes cœleſtes motu ſuo ſolus ſuaviſſimos, inter ſe reſpondentes, aut concentum muſicum inter ſe efficere, neutiquam admittendum, ut enim cœleſtem illam συμφωνιαν non audimus, ita nec approbamus.*

IIII. *Ex planetis, SOL & Luna, Eclipſin patiuntur, Solis Eclipſis eſt averſio radiorum Solis, ob interpoſitionem corporis Lunaris, inter Solem & viſum noſtrum: Eclipſis Lunæ eſt privatio luminis Solaris in Luna ob interventum terræ inter Solem & Lunam, ex diametro oppoſitum: neutiquam tamen totaliter obſcurari dicendus eſt Sol, cum ſit author, & fons lucis diurnæ, lunæ autem obſcuratio totalis ut in toto illo Hemiſphærio conſpiciatur, uno eodemque momento in quo contingit.*

V. *Horizon eſt circulus in Sphæra major dividens cœlum in duas dimedietates, quarum una tota à nobis conſpicitur, eſtq́; ſupra horizontem, altera vero tota à nobis obſcuratur, eſtq́; infra horizontem mutabilis κατ' ἡμας, immobilis tamen in ſe, cum quilibet locus horizontem ſuum immotum retineat.*

VI. *Æquinoctialis circulus ſub ipſiſſimis mundi Polis habitantibus, eſt horizon, unde ſoli ſub Æquatore degentes habent horizontem rectum, itaq́; ſex menſibus Solem habent conſpicuum, totidem latentem.*

PROB.

An brevioris ſint vitæ reliquis terræ incolis.

FINIS.